


figura reliqua nimirum  $GCFB$   $HA$   $EIG$  Gnomon. Si verò alterum complementum  $HIFB$  removeatur, erit reliquum, nempe  $HAEDGC$   $FIH$  Gnomon.

Atq; hæc ad sectionem Parallelogrammorum pertinent: de Comparatione Parallelogrammorum inter se teneantur sequentia Theoremata, ijsq; adnumerentur & reliqua Problemata, quæ ad pleniorum Parallelogrammorum cognitionem omninò sunt necessaria.

*THEOR. I. Ratio Parallelogrammorum in genere omnium, composita est, itidem ut prius in Triangulis, ex ratione Basium & Altitudinum.*

Hinc in Quadratis & Parallelogrammis, quia latus lateri perpendiculariter insistit, sumi alterum commodissimè potest loco Basis, alterum loco Altitudinis. Finge ergò vel Basin  $AB$  partium 4. in Altitudinem  $AD$  aut  $BC$  earundem 4. partium: vel contra Altitudinem in Basin duci: & habebis Quadratum  $ABCD$  partium 16. sed similiter quadratarum, ita ut earum quævis situ & figura simile sit toti  $ABCD$  Quadra-



to. Ita & in apposito Parallelogrammo  $ABCD$  si intelligatur Basis  $AD$  partium 4. fluere in Altitudinem  $AB$  3. enascetur  $ABCD$  Parallelogrammum partium quadratarum duodecim. ARITHMETICI ex hoc loco Geometriæ mutuati sunt phrasin *ducere numerum in numerum*. Ut enim prius ex ductu lineæ  $AB$  in lineam  $AD$  enascebatur Quadratum  $ABCD$ : ita si  $AB$  in quatuor ducas, h. e. quatuor in se



K

(vel